

Qk. 525, 12

B. m. II, 4

II d  
1656

1

DE

IOANNE. BOCCATIO

VERITATIS. EVANGELICAE. TESTE

DISSERIT. SIMVL. QVE

AD

ACTVM. VALEDICTORIVM

PRID. IDVS. MAIL. A. R. G. c10 Ioccliv.

HORA. NONA, INSTITVENDVM

SCHOLAE. NOSTRAE. PATRONOS

ATQVE. FAVTORES

SVMMA. ANIMI. OBSERVANTIA

INVITAT

M. IOAN. GEORGIVS. HAGER

RECTOR,



CHEMNICII

15. IOAN. CHRIST. STOESSELII.



VEREINIGTE UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK

VEREINIGTE UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK

VEREINIGTE UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK

VEREINIGTE UNIVERSITÄT  
SACHSEN-ANHALT  
LEIPZIG  
BIBLIOTHEK





uvenes quidam optimae spei & ad praeclearissima quaevis nati, qui in societate sua teutonica priuato studio linguam vernaculam ea, quia decet, diligentia huc vsque apud nos excoluerunt variaque in ea cum laude ediderunt specimina, nunc etiam in aliis quid valeant humeri linguis periclitaturi in publicum prodire sibi proposuerunt. Cuius ego propositi index paucissima de IOANNE BOCCATIO veritatis euangelicae teste ante Lutherum praefabor. Celeberrimum illum Saeculi XIII. Philosophum atque Historicum IOANNEM BOCCATIVM inter tres quoque sui temporis in Italia poetarum principes locum quandam obtinuisse constat. Fuerunt autem illi triumuiui illustres DANTE ALIGHERIVS, FRANCISCVS PETRARCHA & IOAN. BOCCATIVS. Vitam BOCCATII memoria omnino dignam & lectu iucundissimam a viris doctissimis iam descriptam (a) copiosius enarrare nolo. Est mihi potius illum ab iniuriis ipsi illatis vindicandi animus. Fuerunt nimirum perfidiae frontis homines, qui impietatis illum accusare haud erubuerunt prouocantes plerumque ad illius, qui *il Decamerone* inscribitur, librum. Sic BALTHASAR BONIFACIVS iudicat ita scribens (b): Boccattius, Herruseorum Cicero, fabulator iucundus & eloquens sermone patrio, sed latini parum peritus, Theogoniae non admodum accuratus, & Mythologiae non satis idoneus enarrator, in *omnibus obscenus, impius & versificator ineptissimus*. Absit, vt *omnia*, quae in hoc libro Boccattii occurrunt, dicta defendenda putem, vt putauit FRANCISCVS PETRARCHA, qui illius defensionem in epistola ad illum his expressit

):( 2

ver-

- (a) Vitam illius quam plures conscripserunt, Auctor nimirum anonymus, Giuseppe Betussi, Franciscus Sansouinus, Philippus Villani, Papir. Masson, Thom. Pope-Blount, Ioan. Iac. Boissard, Paul. Iouius, Paul. Freherus, Pet. Baylius alique, quos recensuit Frid. Gotthelf. Freytag in *Analect.* p. 134. in *Apparat. Litter.* T. I, p. 441. De scriptis illius vide Io. Alb. Fabricium in *Bibl. Lat. med. & infimae Lat.* Lib. II, p. 681. seqq.
- (b) In *Histor. Ludic.* Lib. XV, c. 3. p. 432. 433.

verbis (c): Si quid lasciuiae liberioris occurrat excusat *aetas* tunc tua, dum id scriberes, *stilus, idioma*, ipsa quoque rerum *leuitas*, & eorum, qui talia lecturi videbantur. Refert enim largiter *quibus* scribas morumque varietate stili varietas excusatur. Absit vero etiam, vt *omnia obscena, impia & ineptissima* dicenda existimem, vt existimauit Bonifacius in iudicio suo antea adducto. Alterum mirius, acerbius vero alterum viderur iudicium. Quum enim teste Berneggero (d), in fabulis suis & historiis centum papale regnum confessionem auricularem, sanctos, lipsanolatriam, purgatorium &c. accerrime perfringeret peruersitatis papaeae non ignarus; Accidit, vt sibi contraheret odium & iniqua de scriptis suis iudicia. Sic plerumque fieri solet: veritas odium parit, Sed non Romano Catholici solum inique illum variis affecerunt contumeliis, sed etiam SAMUEL des MARETS, s. MARESIUS nostrum Boccacium pro auctore famosissimi illius libelli de tribus impostoribus venditare est ausus (e). Accusationis suae satis temerariae argumenta etiam in libro *il Decamerone* quaesuit &, vt putat, inuenit. Concedimus quidem, Boccacium iuuenem fabula III. dicti libri de religione iudaica, christiana & mahometana minus recte scripserisse, sed exinde non sequitur, vt libri de tribus impostoribus ille sit auctor, vt recte iudicauit WILHELM ERNEST. TENTZELIUS (f). Ex confessione, quam ipse Boccacius senex publice edidit, & ex aliis illius scriptis contrarium potius

- (c) In Epistola dedicator. ad Fabulam Boccacii de Griselide latina conuersam V. PAPIRII MASSONII Elogia T. II, p. 198. 199. citante BAYLIO in Lexico suo transl. teut. T. I, p. 596.
- (d) Idol. Laurent. p. 128. apud THOM. POPE-BLOUNT in Cens. celebr. Auct. p. 308.
- (e) In Iohanna Papissa restituta, s. animaduersionibus & annotationibus historicis ad Davidis Blondelli librum de Iohanna Papissa p. 196. Vide etiam Obseruat. Hall. T. IV, p. 434. RVHLII Praefationem ad Menagiana p. 23. Eiusd. Naudaeana p. 83. AVGVST. BEYERI Memor. Libror. rar. p. 62. & celeberrimi M. Ioan. Mich. Mehligii, Diaconi apud nos ad D. Iacobi meritiissimi librum: Das erste schlimmste Buch, oder historisch critische Abhandlung von der Religionslästerlichen Schrift, de tribus impostoribus Ehemnis, 1764. 8. C. IV, p. 60. seqq.
- (f) In seiner curieuses Bibliothec, T. III. p. 200. 201.

potius elucet. Ita enim haec confessio comparata est, vt Boccatus non derisor, sed veritatis euangelicae ante Lutherum eximius testis sit. Antequam vero hanc confessionem edam paucissima de illius vita, quae nobiscum in scriptis suis ipse communicauit, colligere iuuat. *Certal- dum* haud ignobile Tusciae oppidum in agro Florentino Boccatii fuit patria (g). Parentibus vsus est obscuris natus A. R. S. cloccexxii. De primis pueritiae suae annis ipsum nos instruentem audiamus: Satis enim memini, inquit (h), apposuisse patrem meum a pueritia mea conatus omnes, vt negotiator efficerer meque adolescentiam nondum intrantem arithmetica instructum maximo mercatori (Florentino) dedit discipulum, quem penes sex annis nil aliud egi, quam non recuperabile tempus inuacuum terere. Hinc quoniam visum est aliquibus, ostendentibus indicium, me aptiorem fore litterarum studiis, iussit genitor idem, vt pontificum functiones diues exinde futurus: auditorus intrarem: & sub praeceptore clarissimo fere tantumdem temporis incassum laboraui. Fastidiebat haec animus adeo, vt in neutrum horum officiorum aut praeceptoris doctrina, aut genitoris auctoritate, qua nouis mandatis angebar continue, aut amicorum precibus, seu obiurgationibus inclinari posset, in tantum illum ad poeticum trahebat affectio. Nec ex nouo sumto consilio in poesin animus totis tendebat pedibus, quin immo a vetustissima dispositione ibat impulsus. Nam satis memor sum, nondum ad septimum aetatis annum deueneram, nec dum fictiones videram, nondum doctores aliquos audiueram, vix prima litterarum elementa cognoueram, & ecce ipsa impellente natura fingendi desiderium adfuit. Et si nullius essent momenti: tamen aliquas fictiunculas edidi.

)( 3

Non

(g) Hoc docet inscriptio illius sepulchralis infra adducenda.

(h) Lib. XV. c. 10. p. 119. in Genealogia Deorum Editionis, quae hoc titulo gaudet: Genealogie Ioannis Boccatii cum demonstrationibus in formis arborum designatis. Eiusdem de montibus & siluis. de fontibus lacubus & fluminibus. ac etiam de stagnis & paludibus: nec non & de maribus, seu diuersis maris nominibus. Et in fine haec legimus verba: Impressum Venetijs per me Manfredum de Streuo de Monteferrato. Anno ab incarnatione Omnipotentis Dei MCCCCXCVII Octauo Kalendas Aprilis, in folio. Editio Basileensis, a. c. 1532. f. quae etiam ad manus est, ommissa est a Fabricio.

Non enim suppetebant tenellae aetati officio tanto vires ingenii. At-  
amen iam fere maturus aetate & mei iuris factus nemine impellente, ne-  
mine docente, immo obfistente patre, & studium tale damnante, quod  
modicum noui poeticae sua sponte sumsit ingenium, eamque summa  
auditate secutus sum, & praecipua cum delectatione autorum eiusdem  
libros vidi, legi, quos, & vti potui, intelligere conatus sum. Et mi-  
rabile dictu, cum nondum nouissem quibus, seu quot pedibus, carmen  
incederet, me etiam pro viribus renitente, quod nondum sum, poeta  
fere, a notis omnibus vocatus fui. Nec dubito dum aetas in hoc aptior  
erat si aequo genitor tulisset animo, quin inter celebres poetas vnus eua-  
sissem. Verum dum in lucrosas artes primo, inde in lucrosam facul-  
tatem ingenium flectere conatur meum: Factum est, vt nec negotiator  
sim, nec euaderem canonista, & perderem poetam esse conspicuum.  
Cetera facultatum studia, & si placerent, quoniam non sic impellerent.  
minime sim secutus; vidi tamen sacra volumina, a quibus, quoniam  
annosa aetas & tenuitas ingenii disfluasere, destiti. Et ideo cum existi-  
mem dei beneplacito me in hac uocatione vocatum, in eadem consistere  
mens est. Huc vsque ipse Boccarius. Quo facto studiis, in primis  
poeseos, se totum tradidit. **ANDALVM** de **NIGRO** Ianuensem ge-  
nerosum atque venerabilem senem in motibus astrorum doctorem suum  
appellat. Multa praeterea a **BARLAAMO**, Basilii Caesariensis mona-  
cho, homine Calabro, insigni grandique litterarum graecarum scientia  
praedito accepit. Deinde **LEONTIVM PYLATVM** Thessalonicen-  
sem, Barlaac auditorem, tribus fere annis diligentissime audiuit, quem  
ita descripsit: Aspectu horridus homo est, turpi facie, barba proluxa  
& capillitio nigro & meditatione occupatus assidua, moribus incultis,  
nec satis vrbanius homo. Verum vti experientia notum fecit, littera-  
rum graecarum doctissimus & quodammodo graecarum historiarum  
atque fabularum archiuum inexhaustum. Esto, latinarum non satis  
adhuc instructus sit. Nonne ego fui, qui hunc Leontium Pylatum a  
Venetiis occidua Babylonem quaerentem a longa peregrinatione meis  
flexi consiliis in patria tenui? Qui illum in propriam domum suscepi  
& diu hospitem habui, & maximo labore meo curau, vt inter doctores  
Florentini studii susciperetur, ei ex publico mercede apposita. Fui  
equi-

equidem ipse insuper, qui primus meis sumtibus Homeri libros & alios quosdam graecos in Etruriam reuocari, ex qua multis ante saeculis abierant non redituri. Nec in Etruriam tantum, sed in patriam deduxi. Ipse ego fui, qui primus ex latinis a Leontio Pylato in priuato Iliadem audiui. Ipse insuper fui, qui ut legerentur publice libri Homeri, operatus sum. Et esto, non satis plene perceperim: Percepi tamen quantum potui. Nec dubium, si permanisset homo ille vagus diutius penes nos, quin plenius percepissem. Sed quantulumcumque ex multis didicerim: Nonnullos tamen praeceptoris demonstratione crebra integre intellexi. Tandem FRANCISVM PETRARCHAM, Florentinum, venerandissimum praeceptorem, patrem & dominum suum laudibus extollit. Haec ipse de suis retulit praeceptoribus in libro suo de Genealogia Deorum (i), cuius prooemium ita concludit: piissimum deum rerumque omnium opificem & cuncta potentem, cui mortales viuimus omnes, supplex precor, ut grandi superboque coeptui meo fauens adfit. Sit mihi splensens & immobile sidus & nauiculae disuetum mare succantis gubernaculum regat, & ut opportunitas exigit ventis vela concedat, ut eo deuchar, quo suo nomini sit decus, laus, honor & gloria sempiterna (k). Nonne ex his verbis pietas, minime vero impietas elucet? Et alibi pietatem & modestiam suam ita demonstrat (l): Multa forsitan ommissa sunt in hoc opere, indulgeant quaeso, & quod ignorantia siue obliuione factum est, nolint equiparare malitiae. Adest & res alia, in quam forsitan possunt obloqui viri sublimes, scilicet circa explicationes sensuum fabularum exhibitas. Absit, ut his ego velim obistere. Possibile quidem reor, quum nunquam de me ausus sim tam magna praesumere. Quis ex imperfecto homine perfectum exquireret opus? Solius est dei perfectum opus componere. Homo enim sum ego: & hominem peccasse, nec nouum est, nec mirabile. De scriptura sacra proficetur: sacra volumina sunt, a quibus & parui pendere peritura docemur, & DEI magnalia declarantur atque *quo tramite*  
cae-

(i) Lib. XV, c. 6. & 7, p. 112. seqq.

(k) p. 7.

(l) Lib. XV, c. 4. p. 112.

caeleste regnum petamus offenditur, quod studium perfecto ceteris praeponendum est (m). Et tandem tam pie concludit Genealogiam suam deorum, ut impium iniquumque videatur, ipsum arguere impietatis. En ipsum audite (n): Verum, quum homo sum nouique nullum adeo oculatum, quin nisi diuina protegatur manu, saepissime cadat in lubricum. Arbitror, satis possibile, me nonnunquam aut omisisse dicendo, aut non dicenda scripsisse, aut dicta non satis rationibus roborasse, seu aliis modis peccasse plurimis, de quibus doleo. Et quum nosco, quod ignauiae meae mea imputanda sunt crimina supplex veniam posco. Tunc omnes honestos, sacros, pios atque catholicos viros & potissimum celebrem virum Franciscum Petrarcham insignem praeceptorem meum, ad manus quorum opus hoc aliquando deueniet *per CHRISTI pretiosissimum sanguinem deprecor*, ut errores quoscumque si quos forsan minus videns dictis immiscui sua pietate atque benignitate surripiant, aut illos in sacram veritatem conuertant. Eorum enim existimationi & emendationi opus hoc esse suppositum volo. Praeterea, rex inclite (o), si quid boni inest, si quid bene dictum, si quid votis tuis consonum, gaudeo & exulto & exinde labori meo congratulor. Verum scientiae meae imputes nolo. Nec lauros aut honores alios ob id postulo. DEO quippe, *a quo omne datum optimum & omne donum perfectum est*, attribuas quaeso eique honores impendito & gratias agito. Cum ipse *more meo* semper post exactos quoscumque labores honestos consueverim qua possum mentis deuotione Dauidicum illud dicere: *Non nobis domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ex his quidem testimoniis adductis clarissime apparere puto, Boccatum falso impietatis accusatum famosissimi libelli de tribus impostoribus minime auctorem, sed potius testem veritatis fuisse: Sed longe illustriora adhuc restant testimonia ex confessione illius reperenda, propediemque edenda, quia chartae angustia in praesenti hoc verat. Hoc vnum adhuc annotasse sufficiat, illum publicum munus nunquam administrasse & Certaldi diem obi-

(m) Lib. XV, c. 10. p. 115.

(n) Lib. XV, c. 14. p. 116.

(o) Hic rex fuit HVGGO Hierusalem & Cyri rex, cuius iussu Genealogiam Deorum composuit illique consecrauit.



obiisse supremum in caelibatu A. c1600cclxxv. vbi in illius sepulchro in templo S. Iacobi & Philippi haec legebatur inscriptio:

Hac sub mole iacent cineres ac ossa Ioannis,  
Mens seder ante Deum meritis ornata laborum  
Mortalis vitae. Genitor Boccatius illi,  
Patria *Cerialdum*, studium fuit alma Poesis.

Nunc vero nominandi sunt commilitones nostri suauissimi, ita prodituri:

Christianus Godofredus Hertelius, Chemn.  
de triumpho apud Romanos discerens *latine*.

Gotthold Benjamin Hertelius, Bufendorf. Lipf.  
diem rure bene peractum canens *carm. teut.*

Christoph. Gottlieb Tzschirnerus, Chemn.  
honesti, sed paupertate pressi, apud nos civis filius, qui per complures annos pius, modestus & diligentissimus nostrae doctrinae huc vsque fuit alumnus & varia dexteritatis suae cum laude publice edidit specimina, nimirum A. c1600cclxiii, de utilitate scholarum orat. teut. habuit. A. c1600cclxiiii, comparisonem vitae humanae cum quatuor anni aetatibus instruit *carm. teut.* & eodem adhuc anno virtum magnificum summeque venerabilem D. IO. GODOFR. HERMANNVM, S. S. Theol. Doct. concionat. aul. prim. &c. tunc temporis hospitem nostrum gratissimum piis votis excepit *carm. teut.* egregio & nunc probe instructus litterarum studii elegantioribus academiam Lipsiensem petiturus musis nostris valedicet *carm. teut.* praemissa orat. lat. de oraculorum origine.

✕ ✕

Chri-

OK Ttd 1656

VD 18

Christian. Gottlob. Thube, Schlegel. Misn.

qui eximio in studia sacrarum litterarum a iuuentute flagrauit amore, sed paupertate impeditus finem suum vix obtinere potuerat. Pater enim illius puluere scholastico sudans semet ipsum aegre sustentare potest. Ad nos tandem quasi nudus accedebat, sed Dei stipatus auxilio, qui beneuolos ipsi excitauit patronos, vt diligenter cum fructu studia sua profectui posset. Neque dubito, quin Deus ipsi porro in academia Lipsiensi succurrat, quia nunquam a tramite pietatis & honestae vitae huc vsque declinauit, neque eum declinaturum esse spero. Valedicturus carm. teut. praemitter orat. teut. de causis, quae ipsum studium excolere theologicum permouerunt. His abiturientibus faustissima quacuis precabitur ornatissimus & optimae spei iuuenis

Christian. Godofredus Angerus, Chemn.


habita oratione graeca de maximo Herculis opere.

A VOBIS, *Patroni atque Fautores ea, qua decet, pietate colendi,* maximopere petimus, vt honorifica VESTRA gratissimaque praesentia nos beneuole dignari velitis. Quae preces si quid apud VOS, vt speramus, valebunt, egregiae huius beneuolentiae nunquam non nos memores futuros pollicemur. P. P. Chemnicii d. 12. Maii

elo Iocx LXV.



X 306 3847



B. m. II, 4



1

DE

. BOCCATIO

VANGELICAE. TESTE

T. SIMVL. QVE

AD

LEDICTORIVM

. A. R. G. cō Iocclv.

A, INSTITVENDVM

STRAE. PATRONOS

FAVTORES

MI. OBSERVANTIA

VITAT

ORGIVS. HAGER

CTOR,



MNICII

CHRIST. STOESELLII.

